

ptum continuaret: diversi etiam fratres monitis A hisce obsecundantes, industriam suam egregie probarint; nos inclytis eorum vestigiis insistentes, idem mandatum ceu justum et salutare tenore præsentium innovamus, et redintegramus, volentes ut quod quilibet de suo monasterio seu Ecclesia Chronicon antea scriptum habet, diligenter custodiat, idque secundum seriem annorum ad sua usque tempora fideliter continuet. Si vero nullum adhuc exstet, vel

ipse aliquod concinet, seu per alium idoneum et fidelem virum conscribi curet. Nos libenter ex archivio et bibliotheca quæcunque necessaria fuerint suppeditabimus, non tantum sed etiam cujuslibet studium utj antecessores nostri specialiter cohonestabimus. Valete in Domino.

Datum in abbacia nostra imperiali anno gratiæ 1537, ipso die beatæ Veronicæ.

ANNO DOMINI MCLVI

ERNALDUS ABBAS BONÆVALLIS

IN DIOECESI CARNOTENSI.

NOTITIA HISTORICO-LITTERARIA.

CODIN, *Script. eccles.*, t. II, pag. 1288.

Arnaldus seu Ernaldus Bonævallis in valle Carnotensi abbas, vir quamvis obscuræ originis, non obscuræ tamen famæ fuit, sancto Bernardo Clarævallis abbati æqualis, atque ipsi maxime intimus et familiaris, uti et Petrus Cellensis. Institutum divi Benedicti professus apud Bonamvallem Carnotensis diocesis, ut verisimile est, ubi totum se illis addixit studiis, quibus Christiana et religiosa pietas pasci ac foveri solet. Divinis ita humanisque litteris instructus, cœnobio huic abbas successu temporum et observantiæ merito præfectus est, maximo hujus monasterii honore et commodo, quod in agro Carnotensi vix sexto ab ipsa urbe milliari conditum est. In qua etiam urbe Petrus Celletis paulo post obitum Ernaldi, munus episcopale gessit. Hic Ernaldus est quem S. Bernardus Clarævallis abbas plurimum adamavit, ut epistola ipsius 316, ad eum manu propria in extremis a Bernardo scripta, fidem facit. Hic Ernaldus est, ab Arnulpho quoque Lexoviensi episcopo laudatus, cui in hæc verba ægrotanti Arnulphus scripsit: *Cœperunt occurrere mihi quæ de vestra dilectione jocunda provenerant. Occurrebat mihi siquidem sanctum illud dulceque colloquium, quo prævaletis auditorum mentes rerum erudire sollertia, et aures jocundi sermonis suavitate mulcere. Recordabar quantam vobis scribendi gratiam bonitas divina contulerat, in qua nescio an magis sententiarum fructum, an dicendi peritiam debeam admirari. Hæc enim apud vos tanta sibi invicem paritate respondent, ut neque rerum majestas verborum videatur coarctari angustiis, nec sermonis dignitas, aliqua sententiarum excellentia prægravari.* Exstant et aliæ ejusdem ad eundem epistolæ in quibus, sicut etiam ab Henrico Gandavensi, *Ernaldus* semper appellatur.

Tanta cum fuerit Ernaldi nostri doctrina et pietas, lucubrationes tamen ejus aliæ quidem hactenus latuerunt, aliæ aliis auctoribus adscriptæ sunt, excideruntve, paucis auctori germano reservatis. *Ernaldus*, inquit Henricus Gandavensis, *abbas Bonævallis Vitam sancti Bernardi in quatuor libris, præter illum quem abbas S. Theodorici Guillelmus scripserat, explicavit; multa hinc inde tangens, quæ ipsi pertinere videbantur ad materiam quam scribebat. Commentatus est etiam super quinque vel sex ultimis verbis Domini in cruce, multipliciter ac subtiliter inde disputans.* Verum in hoc lapsus est Henricus quod quatuor libros de *Vita sancti Bernardi* Ernaldo tribuerit, cui rectius Trithemius unicum assignat et quasdam epistolas. Ex libris enim quinque de *Vita Bernardi* passim obviis, primus est Ernaldi fetus, alter Guillelmi abbatis Sancti Theodorici, ac postea in Signiaco monachi ordinis Cisterciensis. Tres reliqui spectant ad Gaufridum, olim Bernardi notarium seu amanuensem, ac postea quartum Clarævallis abbatem. Insuper in eo hallucinatur Henricus, quod in libro *De scriptoribus ecclesiasticis* Ernaldum ordinis Cisterciensis fuisse dicit, quem instituti Benedictinorum fuisse certum est. Præter hæc, alia etiam opuscula Ernaldum auctorem præferunt in diversis bibliothecis, alia hactenus latuerunt aut penitus exciderunt. Ex his omnibus Ernaldi operibus in ultima editione Operum divi Cypriani, Oxonii in Anglia anno 1682, e theatro Seldoviano, procurata, atque ex anterioribus multis editionibus correctâ, prodierunt *De septem verbis Domini in cruce. De operibus Christi cardinalibus*, opusculum lucusque perperam D. Cypriano Carthaginensi episcopo attributum. *De operibus sex dierum. De laudibus beatæ Mariæ Virginis. Meditationes variæ.* Itemque inter Opera divi Bernardi sæpius, *Liber primus de Vita S. Bernardi*, Bernardo alteri Bonævallensi apud Viennenses (ut aiunt) abbati, suppositus a plerisque; de quibus singulis paulo amplius agendi occasionem hic aucupari, haud incongruum lectori erudiendo fuerit.

Opusculum *De septem verbis Domini in cruce*, a nullo Arnaldo Bonævallis abbati non ascribitur, quamquam nonnulli in eo fallunt fallunturque, quod Bonævallis apud Vesuntiones abbatem interpretentur. Verum quæstionem omnino dirimit inscriptio apographo Cisterciensi subjecta: *Arnaudus abbas de Bona-*

valle in Francia, *ae verbis Domini*; Franciæ enim nomine Bonamvallem agri Carnutensis ab aliis ejusdem nominis monasteriis satis distingui, quæ sive in diocesi Viennensi, sive Pictaviensi, sive in Ruthenensi constituunt, omnes qui res Gallicanas intelligunt, facile norunt. Istud opusculum a Joanne Gagneio viro erudito primum, Francisco primo Galliarum regi a consiliis et eleemosynis, cum hoc titulo, *Ernaldus abbas Bonævallis in diocesi Carnotensi de verbis Domini in cruce*, typis excusum est.

Liber *De cardinalibus Christi operibus* inter sancti Cypriani Opera hæcenus vulgatus, Arnaldo etiam nostro tum in Cisterciaco et Clarævallensi, tum in Oxoniensi apographo collegii Omnium Animarum inscribitur, tametsi in ultimo isto mendose *Bonavillanensis* pro *Bonavallensis* abbatis nomen legatur. Ita enim inscriptio se habet in exemplari Clarævallensi: *Domini Ernaldi Bonavallensis abbatis liber de cardinalibus Christi operibus*: atque in alio additur, *quem scripsit ad Adrianum papam*, scilicet IV, qui anno 1154 ad Romanam sedem promotus est. Hunc librum Arnaldo isti jam bene multi adjudicaverant, nempe Robertus Locus in *Censura* sua, Philippus Labbeus in *Dissertatione ad Librum Bellarmini De scriptoribus ecclesiasticis*, tomo I, verbo *Cyprianus*, Franciscus Combefisius in *Apparatu ad Bibliothecam concionatoriam*, verbo *Arnaldus*, et Joannes Mabillon in notis ad epistolam 210 S. Bernardi abbatis, editionis Parisiensis anni 1667. Quod tandiu nomen genuini auctoris ignotum fuerit, id ex scriptoris modestiâ factum, qui sub prologi finem, nomen suum premi his verbis postulat: *Libellus igitur quem de cardinalibus Christi nostri operibus scripsi, paternitati vestræ suppresso nomine misi*. En Arnaldi modestiam, pruriginis scribendi inimicam.

Mirum est opusculum hoc S. Cypriano suppositum fuisse, cum sola ejus lectio contrarium persuadeat. Illud unum afferre sufficiat, quod scriptor de baptismo Christi agens, ait, *Baptismum per quemcunque fiat, eundem esse; nec hoc meritis esse datum, sed gratiæ, et proprie sibi omnipotentiam Dei retinere hujus effectum*. Quod non facile dixisset S. Cyprianus, quippe qui omnem baptismum ab hæreticis collatum respueret. 2. Quid quod Scripturæ citationes vulgatæ versionis respondent, quæ a Cypriani temporibus immensum abest. 3. Auctor de unctione chrismatis agens hæc scribit: *Hodie patent carceres, et damnati libertate donantur, severitate deposita hodie judices mansuescunt*; quod de regibus et iudicibus Christianis intelligendum venit: et hoc quam alienum sit a Cypriani tempore, quo iudices fere omnes gentiles erant, nemo non videt. 4. Denique adhuc in eodem sermone affirmat, *non solum in regibus et sacerdotibus unctionis honorem permansisse, sed et in omnem populum Catholicum effusam esse hujus gratiæ plenitudinem*, cum longe post Cypriani tempora unctio et regibus et sacerdotibus adhibita fuerit. Verum etsi varios codices membraneos qui istud opus Arnaldo vindicant seponeremus, id etiam ex styli similitudine, tum ex mutua ejus comparatione cum aliis ipsius operibus pateret. Exemplo sit quod auctor in libro *De cardinalibus Christi operibus*, ubi de Nativitate, hæc verba profert: *Genitrix est obstetrix, et dilectam devotio soboli exhibet clientelam*. Item eodem loco: *Nec præcedens delectatio aliquam expetat pœnarum usuram*. Qui uterque locus in Ernaldi libello *De laudibus beatæ Mariæ Virginis* in hunc modum legitur: *Ubi virgo et obstetrix et genitrix, sibi ipsi in illa celebritate exhibuit clientelam*. Et infra: *Nullam ibi usuram pœnarum pro voluptate ultro repetebat*.

Illud luculentum quoque hujusce rei argumentum est quod auctor libri istius Cypriano adscripti, ubi de Passione agit, eandem sententiam habet, de Mariæ commendatione Joanni a Christo facta, atque Arnaldus in sermone 3 *De verbis Domini in cruce*. Illic enim ita Arnaldus loquitur: *Ecce Joannes piæ hereditatis suscipis testamentum, eligeris et in hoc proponeris omnibus. Joseph, qui eatenus ministraverat, te subrogato cedit, nec maritalia jura opponit: ut obstruatur os loquentium iniqua imposterum, quia matrimonium illud dispensationi divinæ, non copulæ carnali serperat. Ideoque nec Joseph, cum Joannes eam suscepit in parentem, queritur de disjuncto connubio, quod dispensatorium fecerat, sine ullo carnalis copulæ commercio*. Illic vero auctor iste in hunc modum: *Jam exigebat ratio ut conjugii removeretur opinio, nec ultra pater Christi æstimaretur, qui eatenus vicem patris et conjugis tenuerat. Habebat Joseph in hac Christi dispositione rationabilem contradictionem, cum alteri commendaretur Maria, si se cognovisset carnalem maritum*, etc. Utrobique auctor et Joseph in passione superstitem fuisse existimat, et Mariæ commendationem Joanni, prætermisso sponso, factam dicit, *ut carnalis copulæ removeretur opinio*. His si addamus mss. codicum testimonia, qui librum illum Arnaldo nostro tribuunt, extra omnem quæstionem erit, opus istud Ernaldi nostri genuinum esse factum. Illud vero maxime auctorem commendat, quod ista ejus elucubratio digna visa sit quæ facundissimo Latinorum fere omnium Patrum, Cypriano tribueretur.

Tractatus *De operibus sex dierum*, qui etiam in mss. codicibus bibliothecæ olim Fulcardi Montis, nunc Colbertinæ Parisiensis, *De paradiso* inscribitur, opera Dionysii Peronetti ecclesiastæ urbis Antissiodorensis, sub nomine Arnaldi seu Arnoldi primum editus, auctorem ipsum præfert in multis mss. codicibus, ex quibus illum exscripsit olim et ad dominum Lucam Dacherium transmisit dominus Bertrandus Tissier, prior Bonifontis in Thierascia, Cisterciensis ordinis, in archiepiscopatu Remensi. Atque etiam sub ejusdem nomine in Bibliotheca veterum Patrum sæpius impressus est; idemque de libello inscripto *De laudibus beatæ Mariæ Virginis* dicendum est. Liber autem *Meditationum* anno tantum 1682 ad calcem Operum Sancti Cypriani ab episcopo Oxoniensi editus est.

Quod attinet ad librum secundum *De Vita S. Bernardi abbatis*, mirum est quonam æstu, quantoque ardore simul et errore hunc Arnaldum abbatem Bonævallis Carnotensis Benedictinum, accensuerit Cisterciensibus suis in *Bibliotheca scriptorum ordinis Cisterciensis*, pag. 25, Carolus de Visch, prior Beatæ Mariæ de Dunis in Flandria. Allegat ad assertionem suam illam stabilendam magnam scriptorum cohortem idem affirmantium, quos auctores appellat gravissimos. Sixtum Senensem in *Bibliotheca sancta*; Joannem Trithemium et Bellarminum in libro *De scriptoribus ecclesiasticis*; Possevinum in *Apparatu sacro*; Guillelmum Eisengrenium in *Scriptoribus orthodoxis*; Conradum Gesnerum in *Bibliotheca universali*; Philippum Seguinum in *Bibliotheca Cisterciensi* ms. Item Henricum Gandavensem *De viris illustribus* cap. 44; Aubertum Miræum in Scholiis ad Henricum Gandavensem supra; Hippolytum Maraccium in *Bibliotheca Mariana*, pag. 144 et 145; Jongelinum denique tam in *Notitia abbatiarum ordinis Cisterciensis* quam in *Originibus et progressibus ejusdem ordinis*. Sed hoc numero auctorum ita affirmantium non obstante hunc Arnaldum auctorem secundi libri Vitæ sancti Bernardi, non fuisse abbatem Bonævallis Viennensis Cisterciensem, sed singularem abbatem Bonævallis Carnotensis, ordinis divi Benedicti, demonstrat eruditissimus Joannes Mabillon in ultima sua editione Operum divi Bernardi, procurata 2 Voluminibus in folio, Parisiis anno 1667, apud Fredericum Leonard, via Jacobæa sub Scuto Veneto. Ita ergo ille ad calcem primi voluminis Operum divi Bernardi in Notis ad epistolam 510, pag. 39: « Scriptores recentiores, nimirum Horstius, Carolus de Visch atque auctor Vitæ Gallicæ sancti Bernardi, contra Trithemii, Bellarmini aliorumque sententiam, Arnaldum hunc distinctum volunt ab auctore libri secundi Vitæ sancti Bernardi, quem auctorem Bernardum vocant, eumque abbatem Bonævallis, non Pictaviensis aut Ruthinensis,

sed Viennensis ordinis Cisterciensis. Alterum vero *Arnaldum* appellant, Bonævallis Carnotensis abbatem, quæ est monachorum Benedictinorum, ad quem hæc epistola scripta fuerit. Sed tantorum virorum pace dixerim unum et eundem esse. Nam quod pertinet ad nominis diversitatem, auctor libri secundi Vitæ sancti Bernardi in pervetusto codice ms. Corbeiensi scribitur *Ernaldus*, quo nomine noster Arnoldus abbas Carnotensis ab Arnulfo episcopo Lexoviensi, in iis quas ad eum scripsit, epistolis indigitatur. Sed missa nominis controversia, certum est librum ii Vitæ sancti Bernardi scriptum esse *Godefrido adhuc Lingonensi episcopo*, ita enim legitur cap. 5, num. 29 : *Godefridus prior ejusdem loci, propinquus ejus in carne et spiritu, qui postea in Ecclesia Lingonensi factus episcopus, usque hodie ingrediens et egrediens laudabiliter perseverat*. Scriptus est igitur ante annum 1161, quo Godefridus, dimisso episcopatu, *Claramvallem reversus est ad amplexum suæ Rachelis*, ut scribit Clarævallense Chronicon, ubi anno 1164, sexto Idus Novembris, mortuus legitur. Atqui a fundatione Bonævallis Viennensis, ordinis Cisterciensis, anno 1117, usque ad annum 1180, nullus abbas in ea *Arnoldi* vel *Bernardi* nomen sortitus est. Primus enim præfuit sanctus Joannes ab anno 1118 ad annum 1158, quo in episcopum Valentinum assumptus, Gozevino secundo abbati locum cessit, qui Raynaldo Cistercii abbati successit est anno 1151. Tertius Petrus in Bonavalle successit, qui anno 1171 sanctum Hugonem, antea Liuncelli abbatem, successorem habuit, qui Bonævalli Viennensi præfuit ad annum 1180, quo decessisse traditur in Menologio Cisterciensi. Ubi ergo *Arnoldus* vel *Bernardus* Bonævallis Viennensis abbas, qui ante annum 1164, quo denatus est Godefridus Lingonensis, librum secundum Vitæ sancti Bernardi scripserit? Hæc autem omnia ex Annalibus Manriquez inductione constant. Unus igitur atque idem est auctor præfati libri, et sancti Bernardi amicus ille, ad quem morti proximus hanc epistolam scripsit, nimirum noster Arnoldus sive Ernaldus Bonævallis Carnotensis abbas; de quo hæc monuit vir doctissimus R. P. Bertrandus Tissier, qui ea qua pollet sinceritate et judicio, cum nostri Arnoldi Opera penes se haberet, sciretque non posse ea Bibliothecæ Patrum Cisterciensium accenseri, ad nostrum Dacherium transmisit quam humanissime, aliquando Deo dante excudenda. Hæc, inquam, de nostro Arnoldo monuit. Hinc patet ex his Mabillonii verbis perperam ab Joanne Merlone Horstio hunc *secundum librum Vitæ sancti Bernardi*, quem posuit in suis ad Opera Bernardi Prolegomenis, esse inscriptum, tanquam a *Bernardo abbate* compositum, certoque spectare ad *Arnaldum* abbatem Bonævallis Carnotensis Benedictinum, divique Bernardi dum viveret singularem amicum, qui manes amici sui scriptione propria honorare voluerit.

Commentarius in Psalmum cxxxii : Ecce quam bonum et quam jucundum, etc., habetur sub Arnaldi nomine cum aliis ejusdem operibus indubiis, in ms. codice optimæ notæ et scriptori synchrono, in bibliotheca Longipontis, ordinis Cisterciensis, diœcesis Suessionensis. Hunc anno 1676 cum varias Gallicani orbis bibliothecas veteres excuterem, detexi, quem postea mihi ab ejusdem loci monacho transcribendum curavi, qui et aliam hujus operis copiam eodem anno ad Joannem Mabillonium monachum Benedictinum misit, tunc temporis de omnibus Arnaldi operibus in unum colligendis atque edendis, meditantem. Editus autem est in 8°, Lugduni Batavorum, anno 1692, apud Petrum Vander Meerche, cum aliis aliorum opusculis. Habet ingenium Arnaldi, nec imparem dictionis suavitatem, quam ubique spirat, ut nullus opinor futurus sit, qui lecto illo, in eandem nobiscum sententiam non veniat. Quamvis in homilia 4 et 5, derelicto textu, hic auctor argumentum aliud a proposito aggressus videatur. Arnaldi autem pietatem, ubi etiam a textu et operis argumento aberrat, plurimam refert.

Opusculum de septem donis Spiritus sancti, sub ejusdem Arnaldi nomine in bibliotheca Cistercii archimonasterii ms. exstat, quod anno 1655 ad Lucam Dacherium a se accurate transcriptum, misit Jacobus de Launoy, hujus cœnobii monachus, homo juvandis litteratis natus. Codex optimæ notæ est, istudque opusculum ob eam doctrinam quam complectitur, Ernaldo abbate cujus et nomen præfert et pietatem redolet, dignissimum est. Negare tamen non possumus ad eam elegantiam atque ornatum, quem in aliis suis tractatibus Ernaldus præsefert, dictionem istius haud semper accedere. Addo citationes Scripturarum in illo quoque frequentiores esse quam in aliis Arnaldinis opusculis, quamvis opus suo in genere magnæ industriæ sit, nec a soliditate abbatis nostri abhorreat. Doctrina quam habet singularem cap. 8, *De lotionibus pedum*, doctrinæ Arnaldi, *De operibus Christi cardinalibus* omnino conformis est, ut utrumque conferenti opusculum patebit. Non eodem semper ornatu in opusculis suis procedebant veteres, sed remissius aliquando vel intensius, pro re nata vel argumento. Illud cum opusculo superiore anno 1692 Lugduni Batavorum impressum est curis meis.

Franciscus tandem Titelmannus, qui opusculum Arnoldi *De septem verbis Domini in cruce* recensuit atque post Joannem Gagnejum edendum curavit, in prologo præmisso ad editionem suam huic quoque *librum de corpore et sanguine Domini* ascribit his verbis : *Fertur idem auctor, præter duos hos tractatus, nimirum De verbis Domini in cruce, et De laudibus beatæ Mariæ Virginis, alia quoque scripsisse opuscula, de operibus sex dierum, deque corpore et sanguine Domini, quæ hactenus nobis invisæ*. Sed fortasse liber ille *De corpore et sanguine Domini*, ad Guillelmum Sancti Theodorici abbatem, ejusdem olim instituti ac ejusdem temporis spectat, qui librum de hoc argumento scripsit, quem in manuscriptis codicibus conjunctum sæpius et collectum cum opusculis Arnaldi abbatis vidimus : quam forsitan ob causam, nonnulli ad *Arnaldum* spectare opinati sunt. Vel etiam liber ille *De corpore et sanguine Domini* opus aliud non est a tractatu *De cardinalibus Christi operibus*, in quo de eucharistia etiam eximie tractat.

Hæc latissime de scriptis Arnaldi, cujus amplam mentionem faciunt, Carolus de Visch, prior Beatæ Mariæ de Dunis in Flandria in *Bibliotheca scriptorum ordinis Cisterciensis*, pag. 25, multis etsi vanis contendens, spectare *Arnaldum* hunc ad ordinem Cisterciensem; Cæsar Egassius Bullæus sæculo iv, *Historiæ Universitatis Parisiensis*, in Catalogo illustrium Academicorum istius sæculi; Joannes Mabillonius præfatus in notis ad epistolam 510 divi Bernardi citatæ editionis pag. 39; ego ipse in Supplemento Bellarmini *De scriptoribus ecclesiasticis*, tum in *Cypriano* ad annum 250, tum in *Ernaldo* ad annum 1160, quos videas; Philippus Labbeus, ibidem; Guillelmus Cuvus in *Historia scriptorum Ecclesiæ*, sæculo iv, ad annum 1162, pag. 680, cum multis aliis.